

gemmae referri possunt. Antachates enim cum vritur, myrrham redolet. sic & Aromatites, qui ex odoris praestantia nomen inuenit, myrrham redolens, ex bitumine constat, teste Plinio. traditurque ab eo gigni in Arabia & in Aegypto circa Pisas. Vbiq; lapidosa, & myrrhae coloris & odoris: ob id reginis frequentata.

Myrrhites quoque gemma quae myrrhae colorem habet, attrita nardi odore spirans, existimatur esse bituminosa.

Catochites Corficae lapis impositam manum velut gummi retinet.

Lipare itidem pinguis est. adhærescit enim ad manum. huius suffitu omnes bestiae euocantur.

Sed hæ omnes & similes gemmae non ex puro bitumine constant, sed alijs quoque succis subterraneis mixtae sunt. Succinum verò non nisi ex mero & purissimo bitumine generari hæcenus copiosè ostensum est.

*F I N I S.*

i 3